

Sori teleutosporiferi atri, pulvinati, firmi circulares vel oblongi, interdum confluentes. Teleutosporae oblongae, medio constrictae, apice rotundatae vel obtuse conoideae, rarius truncatae incrassatae ($6-12\ \mu$), basi rotundatae vel attenuatae, brunneae. Longitudo teleutosporarum $44-60\ \mu$, rarius supra, latitudo $17-21\ \mu$ (singularum usque 27). Pedicellus firmus $30-50\ \mu$ long.

Hab. I in Bellidiastro Michelii, II et III in Carice firma.

De diffusione *Azollae carolinianae* per Europam,

observante P. A. Saccardo.

Est *Azolla caroliniana*, ut notum est, plantula e serie Prothallogamarum, tenella, natans, microphylla, e viridi rubens, Americae utriusque incola. Vel manu botanicorum, vel quocumque alio modo, nonnullis abhinc annis, ex hortis botanicis europaeis in vicinias migrare cepit et vi reproductivâ, quamquam agamicâ, feracissima, seu avibus, seu ranis, seu retibus piscatorum huc illuc celerrime migravit, ita ut nunc temporis Europae quoque incola facta est. Nuperrime cl. prof. A. Chiamenti ex agri Clodiensis et Rhodigini pluribus locis misit, praecipue ex oryzetis, ubi, testibus agricultoribus, postquam „guano“ ut ajunt, ibi adhibetur, sese expandere incepit, ita ut plantula a rusticis nunc „grassa del guano“ vulgo nuncupatur.

Operis pretium duxi colligere loca europaea, quibus *Azolla caroliniana* hucusque subsponte innotuit, in qua cura cl. botanici A. Chiamenti, O. Mattiolo, C. Massalongo, P. Ascherson, quibus gratias ago, benevole mihi praesto fuerunt.

Azolla caroliniana Willd. Sp. pl. V. p. 541 (1810), Baker Fern-allies p. 137, Sacc. L'*Azolla caroliniana* in Europa in Atti Ist. Ven. 1892 p. 835.

Hab. in aquis tranquillis et stagnantibus Americae borealis et per Americam tropicam usque ad Argentinam. In Europa vero subspontanea reperta est (in Italia) in aquis Bacchiglione a Brondolo presso Chioggia, ubi tapetem latissimum, rubentem, sociis *Lemnis et Salvinia* sistit, inque aquis substagnantibus oryctorum a Cà Lino, S. Anna, Cavanella d'Adige in districtu Chioggia et a Rosolina in prov. di Rovigo (Chiamenti 1890—92!) — in fossis circa Ferrara (Massalongo in litt.) — sponte in fossis et aquariis hortorum botanicorum Torino, Modena, Pisa (Arcangeli, Mori, Gibelli, Mattiolo, in litt.) — secus viam ferream da Pisa a Viareggio, prope Porta a Lucca et pr.

S. Giuliano Toscana (Arcangeli), inter Pisa et Pietrasanta (E. Ferrari!), pr. Massa Ducale (Frank Norris sec. Levier in Bull. Soc. bot. ital. 1892 p. 101) et pr. Bientina, Toscana, quo forte allata fuit a cl. Fantozzi (Martelli in N. Giorn. bot. it. 1891 p. 596); (in Gallia) ad Bordeaux (Nyman Cons. Fl. Eur. Suppl. II); (in Germania) in fossis circa Strassburg (de Bary, Stahl, Mattiolo in litt.) et praesertim ad Metzger Thor (Ascherson in litt.), et ad Fuchs am Buckel ubi superficiem chilometra nonnulla longam tegebat (de Bary sec. Ascherson in litt.), circa Bonn (Ascherson in litt.) et verisimiliter circa Jena (Mattiolo in litt.), in stagno quodam im Ausstellungspark in Berlin (Luerssen Farnpfl. Deutschl. p. 698); (in Anglia) in stagno majori et in aliis minoribus pr. Pinner Middlesex, abunde et tapetes latissimos rubicundos efficiens (T. W. Odell; cfr. Journ. of Bot. 1884 p. 28).

Obs. Si *Azolla caroliniana* tot in locis et tam late in Europa brevissimo tempore propagata est, sine dubio ex eo evenit quod temperies et tellus Europae *Azollae* maxime placent, hinc et in posterum plantula apud nos magis magisque propagabitur. Si vero in Floras nostras *Erigeron canadense*, *Stenactin bellidifloram*, *Bidentem bipinnatam*, *Galinsogam*, *Calepinam*, *Senebieram*, *Eleusinem indicam*, *Stratiotem* etc., etc. etsi alienigenas rectissime jam recepimus, profecto et *Azolla caroliniana* inter plantas nostras in posterum adnumeranda est.

Fragmenta mycologica XXXVII.

Auctore P. A. Karsten.

Mycena viridimarginata n. sp. — Pileus membranaceus, conoideo-campanulatus, demum expansus, campanulatus, vix umbonatus, sulcato-striatus, glaber, sordide vel subfuscescente melleus, non hygrophanus, usque ad unciam latus. Stipes rigidofragilis, aequalis, saepe curvatus, laevis, glaber, nudus, melleo-pallens, basi non radicante albostrigosulus, circiter 2 cm altus. Lamellae adnatae distantes, lanceolatae, alboglaescentes, acie virente. Sporae ellipsoideo-sphaeroideae vel ellipsoideae, leves, 7—11 = 6—7 mm. Cystidia nulla. — In trunco putrido pini in regione Mustialensi, Salois, m. Julio 1892. — Vulgo simplex. Sequenti affinis.

Mycena luteolorufescens n. sp. — Pileus membranaceus, disco carnosulus, conoideo-campanulatus, dein campanulatus, saepe obliquus, sulcato-striatus subindeque

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Hedwigia](#)

Jahr/Year: 1892

Band/Volume: [31_1892](#)

Autor(en)/Author(s): Saccardo Pier Andrea

Artikel/Article: [De diffusione Azollae carolinianae per Europam 217-218](#)